

Hermann Heltberg   Fridericus Hartwigius


## **Exercitationum Logicarum I. De Definitione Logicae**

Rostochii: Myliandrus, 1609

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729079880>**

Druck   Freier  Zugang







57

R. U. phil. 1609. 10.


12 gyl.

35 1717











Annunte & Benedicente Domino  
Exercitationum Logicarum  
I.  
DE DEFINITIONE  
LOGICÆ.

Quam  
In inchyta Rostochiensium Academia  
SUB PRÆSIDIO  
M. HERMANNI HELTBERGII  
Walsrodâ Lunæburgici.

Defendere conabitur  
FRIDERICVS HARTWIGIVS  
Rostochiensis Megap.

Ad diem XIII. Decemb. Hora  
& loco consuetis.



ROSTOCHII,  
Typis Stephani Myliandri, Anno cl. Is. IX.



CLARISSIMO, DOCTISSIMO, CON-  
sultissimo, & prudentissimo, Eruditione &  
virtutum laude prestantissi-  
mo Viro.

Dn. JACOBO BORDIN-  
GIO I. V. D. verè eximio, nec non in-  
clutæ & liberæ Imper: Reipub: Lube-  
censis Consuli celeberrimo &  
dignissimo.

*Vi &*  
VIRTUTE, ERUDITIONE, SINGVLARI VI-  
ta integritate multâq; rerum politicarum experientia  
ornatissimo Viro.

HERMANNO HARTWIGIO,  
Notario publico, & celeberrimæ juridicæ fa-  
cultatis in Academia Rosarum, & Reverendi ibi-  
dem Ducum Megapolensium consistorij,  
Secretario. solertissimo..

*Ulli Fautori, Promotori, & Compatri suo mal. is nominibus:  
colendo: Huic verò Parenti suo dilectissimo,  
omniq; observantia cultu prosequendo.*



Has suorum studiorum primitias  
in sui commendationem offert  
& consecrat.

FRIDERICVS HARTWIGIVS  
Rostochiensis Megap.



## Prooemium,

**P**Xpeditis ijs, quæ ad Philosophiæ definitionem & divisionem in genere spectare & pertinere videntur. Consequens jam erit, ut ad ipsam Logicam, quam hisce temporibus placidis aliquot exercitationibus & disquisitionibus, nos sub incudem revocatos esse, promissimus, convertamus. Quæ certè Disciplina omnibus & singulis ad veræ eruditionis & laudis fastigium & apicem tendentibus curæ & cordi esse deberet. Nulla enim Philosophiæ pars est, nulla alia disciplina quæ hujus auxilium anxie non implorat. Et veritatis ille Præceptor Aristoteles hanc disciplinam artem artium & scientiam scientiarum in quibusdam locis appellitare, ipsi quæ tam clarum & eximium attribuere nomen non erubescit. Imò de Logica verè illud dicere possumus:

*Si Logicam nescis, nihil est si cætera discis,*

*Si Logicam bene scis, satis est, si cætera nescis.*

Hujus enim cognitione si quis est destitutus, nihil omnino utilitatis ex lectione reliquarum disciplinarum haurire & capere potest. Hæc enim est tanquam clavis cujus beneficio amoenissimos Philosophiæ hortos aperire, & quasvis bene olentes herbas arripere, iisdemque pro beneplacito uti & frui, possumus. Hanc ergo nobilissimam disciplinam brevibus aliquot disquisitionibus includemus, & quid fructus, quid utilitatis, exinde percipere & haurire poterimus, experiemur.

*Logicae encomium*

A 3

Theore-



### Theorema Primum.

Logica est <sup>Genus</sup> habitus intellectus instrumentalis, mentis nostræ discursum informans, <sup>Finis</sup> ut verum invenire & à falso discernere possit. *vell. de categoriis fol. 9. part. cor.*

I. Cū omnis qua de re aliqua suscipitur tractatio à definitione, secundum eloquentia parentem Cic: tanquam à principio rem quam sumus tractaturi breviter & in summa quasi exhibente, initium sumere debeat: ideò etiam nos qui sumus brevibus aliquot exercitationibus Logicam absolaturi, ab ejusdem definitione qua forsā nobis totam futuram tractationem in compendio quasi & typo delineare & describere posset, auspicari & exordiri volumus.

II. Quia verò tot tantaq; his temporibus praesertim inter Neotericos & Aristotelicos, de Genere, objecto, fine, alijsq; ad hanc rem spectantibus extant controversia & rixae, ut quidam harum rerum ignarus his controversijs disturbetur & à Logico studio planè absterreatur: ideò hac disputatione quodnam verum & legitimum ejusdem sit genus, quodnam objectum & quisnam finis sit demonstrabimus, & de aliorum definitione & fine alijsq; nostram sententiam placidè proponemus.

### Theorema Secundum.

Logicæ legitimum & adæquatum genus est habitus intellectus instrumentalis.

I. Quia omne quicquid in hac rerum universitate existit, secundum Præceptorem nostrum Aristotelem, sit aut substantia aut accidens: ideò etiam Logica qua revera aliquid est, & non  
Ens



Ens esse non potest, aut substantia aut accidens necessario erit.

Jam autem notum est Logicam non substantijs sed accidentibus posse annumerari. Logica enim sicut reliqua accidentia omnia non potest per se subsistere, sed necessario requirit aliquod subjectum in quo sustentetur & sustineatur. Relinquitur ergo Logicam non substantiam sed accidens esse.

ut et proxima disputatione probatum est aliquando doct. s. b. coll. 2. & 3.

II. Quia verò accidentis esse est inesse, ideo etiam Logica quæ ex numero accidentium est, ut in aliquo subjecto sit necessum est.

Dicimus autem & affirmamus Logicam esse in animo tanquam in proprio & adæquato suo subjecto. Accidentia autem quæ sunt in animo, secundum Aristotelem lib. 2. Ethic. cap. 5. non unius, sed triplicis generis sunt: aut enim sunt potentia, aut affectus, aut habitus. Potentia Logica esse non potest, quia non à natura sed per crebras actiones in animum nostrum introducitur: nec etiam potest esse affectus, quia non repentino aliquo motu, & præter voluntatem alicui adesse potest. Relinquitur itaq; quod Logica sit habitus. Habitum autem Logicam esse probamus ita:

Accidentia

Non potentia nec affectus sed habitus Logices generis venit.

Quicquid à natura nobis non inest, sed per crebras actiones à nobis acquiritur, illud est habitus.

Atqui Logica non à natura nobis inest, sed per crebras actiones acquiritur.

E. Logica est habitus.

III. Porro quia habitus animi sunt in duplici constituti differentia, secundum Philosophos, vel enim sunt principales vel minus principales seu instrumentales, ideo in nostro theoremate Logicam non habitum principalem, sed minus principalem seu instrumentalem esse addimus. Ex his jam apparet quodnam genus Logica Legitimum nos constituamus videl. habitum animi. Quia autem habitus vel sunt corporis vel animi; ideo ad meliorem cognitionem & differentiam dicimus habitum animi; quia verò animi habitus vel sunt principales vel instrumentales; ideo addimus Logicam habitum instrumentalem esse. Atq; hæc de Legitimo genere Logices nostra esto sententia.

habitibus animi duplex.

Genus Logices habitibus animi.

Habitibus duplex principalis & instrumentalis. Primum: Theor. Crivintoph, Ars, Scientia, prudentia, intelligentia, sapientia lib. 6. Eth. cap. 4. sigill. dem.



### Theorema Tertium.

Logica non potest per scientiam tanquam per legitimum suum genus definiri.

*Scientia duas  
obtinere signi-  
ficationes. I.*  
I. Ne in vocabulis ludere videamur, ideò dicimus scientiæ vocabulum duplicem apud Philosophos potissimum obtinere significationem. Primo enim significat in generali & impropria significatione quamcunq̄, in qua vis re siue ea res sit contingens siue necessaria, scientiam & cognitionem siue ea sit certa siue incerta. *I.* Secundo significat vocabulum scientiæ in propria & genuina sua significatione, habitum mentis necessariam conclusionem ex necessarijs præmissis demonstrantem.

II. Ut autem intelligatur de quam scientiæ acceptione in theoremate nostro nobis sermo sit, dicimus, quando nos denegamus Logica genus scientiam, quod hoc ipsum faciamus secundum posteriorem propriam & specialem scientiæ acceptionem. In priori enim acceptione Logicam vocari scientiam, quat. videl. alicujus rei, siue sit necessaria siue contingens, aliqualem & non scientificam denotet cognitionem, non inficiamur. Sed cum ea vocabuli scientiæ acceptio sit impropria & nimis generalis & inconueniens scientiæq̄ nomine indigna, ideò illâ amissâ, ad alteram & propriam scientiæ significationem nos convertimus, & dicimus hoc respectu & in hac significatione Logicam non posse per scientiam tanquam per proprium & adequatum suum genus definiri. Non possumus autem nostram hanc assertionem melius probare, quam sumendo & enarrando conditiones & requisita scientiæ propriè sic dictæ, eademq̄ cum conditionibus Logica conferendo. Ex quo deinde facilimo negotio num Logica scientiæ nomine sit digna quis colligere & concludere poterit.

*Ratio quare Logica  
ca genus non sit  
scientia.*  
II. Sit ergò conditio scientiæ prima talis: *Scientia versatur  
circa res perpetuas & necessarias, semperq̄ uno & eodem modo se  
habent.*



habentes. Logica autem versatur etiam circa res contingentes *Entia rationalia*  
& circa illas quarum fieri vel non fieri à nostro pender arbitrio  
& voluntate: Sic Logica versatur circa notiones secundas, ut  
enunciationes, syllogismos, qua res contingentes & in potestate no-  
stra sunt posita. Possumus enim efformare & effingere enuncia-  
tiones & syllogismos, & etiam possumus ab efformatione & fictio-  
ne earundem quiescere, qua omnia contingentia esse, nemo dubi-  
tabit Deinde etiam scientia requirit aliquod certum subjectum,  
de quo aliquid, quod sit in numero Entium realium & necessario-  
rum, demonstrat. Requiritur insuper & desideratur in scientia  
propria affectio, qua extra mentem existit & de suo subjecto de-  
monstratur, requiruntur denique principia per qua illa affectio subje-  
cto suo inesse demonstratur. Quis autem in Logicis horum requi-  
sitorum nullum dari non videt? Quis etiam exinde nobiscum  
taliter concludere abnegabit?

Quaecumque disciplina non habet in se requisita vera scientia,  
illa quoque vera scientia esse non potest, nec per scientiam tanquam  
per proprium suum genus definiiri.

Atqui Logica non habet in se requisita vera scientia.

E Logica scientia esse non potest, nec per scientiam tanquam  
proprium suum genus definiiri.

### Theorema Quartum.

Neque Logica per artem tanquam pro-  
prium suum genus definiiri potest.

I. Sunt nonnulli inter hodiernos Philosophos qui Logicam non  
habitu animi instrumentalem, sed artem esse statuunt & asse-  
runt. Nos vero cum his facimus minimè, & eorundem senten-  
tiam infirmam & erroneam esse probare conabimur sequentibus  
rationibus.

Omnis:



1. Omnis ars est habitus cum vera ratione effectivus.  
Logica non est habitus cum verâ ratione effectivus.

E. Logica non est ars.

2. Deinde dicimus omnem artem post se relinquere opus exter-  
num & in oculos incurrens. 3. requiritur etiam in omni arte ma-  
teria externa in quam opus illud introducitur. 4. Requirit deniq;  
omnis ars ad productionem & perfectionem suam externa corpo-  
ris membra. Sed quia in Logicis horum requisitorum datur nul-  
lum, quis non ultrô Logicam non esse artem, quia his requisitis, ad  
omnem artem necessarijs destituta est, concludet & affirmabit.

*Objectivæ Rationis. Quod si verò his non fuerint contenti, & aliam ab hac  
Aristotelica attulerint artis definitionem, quod nimis ars ipsis sit,  
secundum Lucianum, comprehensio Præceptorum verorum, ca-  
halicorum, & in libris contentorum finem in vita utilem spectan-  
tium, atq; Logicam hac ratione in illa artificiosa præceptorum  
comprehensione qua in libris continetur artem esse, atq; hoc res-  
pectu illa est ars. Et Logicam in libro tanquam in suo subjecto convenienti defi-  
niendam esse, dixerint, quid ipsis respondeamus habebimus in  
promptu. <sup>positivè est vera philosophia. Et in merito. inspirans Ramo  
Logiam ut in præceptis cum ex his involvetur.</sup>*

*Respon.* III. Dicendum itaq; ad hoc iterum erit cum Præceptore no-  
stro Aristotele: quicquid est aut est substantia aut est accidens.  
Substantiam autem Logicam non esse in præcedenti theoremate  
defendimus: relinquitur quod sit accidens. Si est Logica accidens,  
iterum dicendum est, quod sit in aliquo subjecto in quo inhaeret:  
quod si fuerit concessum adhuc addendum est: Omne accidens in  
illo subjecto in quo inhaeret, sustentatur, & sine quo subsistere non  
potest, definiendū esse. Hoc si concesserint Ramo, ut etiâ necessariò,  
re ita demonstrante, concedere coguntur: dicendum hoc modò: Si  
Logica est accidens, utiq; debet in illo subjecto in quo inhaeret de-  
finiri. Iam autem Logicam in animo hominis ut in suo proprio  
subjecto esse, quis nisi insanus cum Ramo negabit. Ex quo dein-  
de necessariò sequitur, Logicam non in libris esse, nec in iisdem, &  
per il-

*Si non esset accidens  
sequeretur Logiam  
non esse.*



per illam preceptorum artificiosam structuram in libris conten-  
tam, tanquam legitimum suum genus, posse definiiri. Cum unius  
rei unica tantum sit definitio, & unius accidentis unicum tan-  
tum in quo inhaeret, subjectum.

IV. Addendum deniq; & hoc erit, neq; artem à Luciano  
definitam legitimum genus Logica propter sequentia esse posse.  
Quaevs enim ars etiam mechanica potest dici comprehensio pra-  
ceptorum finem in vita utilem spectantium. Sic sartores, suto-  
res, talem artem & talia praecepta tenere, quae finem in hac vita  
spectant utilem, nemo negabit. Quod si verum, sequitur etiam  
artem Logica genus, neq; ex Aristotelis, neq; ex Luciani defini-  
tione constitui posse. Ex priori enim non potest esse talis, quia de-  
stitutata est conditionibus & proprietatibus artis. Ex posteriori ve-  
rò definitione, quia attribuitur hac ratione Logica genus cum ar-  
tibus mechanicis & illiberalibus commune, artem legitimi generis  
loco adhiberi non posse, quia absurdum & à veritate alienum est,  
Logicam artem liberalem cum illiberali sub idem genus revocare,  
quemvis perficere, nulla ratione dubitamus.

*Vineta Rāo ppon  
P artem I defini-  
ri post Logicā*

### Theorema Quintum.

Objectum Logicæ sunt res omnes, non  
verò quat. tales sed quat. secundis notioni-  
bus substant. *I. quib; impendenda sunt notiones secundæ, sententijs veri-*

I. Cum Logica sit instrumentum uniuersa Philosophia ipsiq;  
modum & instrumenta quorum beneficio ipsas res circa quas  
versatur, potest cognoscere & earum naturam inquirere: Ipsa,  
verò Philosophia versetur circa omnes omnino res in hoc mundi  
theatro contentas: sequitur etiam Logicam quæ ejusdem instru-  
mentum est, circa omnes res versari. Quia verò qualibet disci-  
plina duo requirit rem consideratam & modum considerandi.

B

Idem



*Considerata.  
Logica secundum  
objectum, cum  
Philosophia con-  
venit.  
modis considerat.*

Idem in nostro theoremate non solum rem consideratam seu subje-  
ctum materiale, quo cum tota Philosophia Logica convenit,  
quod his verbis: Logicae objectum sunt omnes res; conti-  
netur; sed etiam modum considerandi illud subjectum addidimus;  
nim. quatenus secundis notionibus substant. Hac enim ratione  
Logica à reliquis disciplinis Philosophicis est sejuncta, quod videl.  
illa circa res ipsas; hac verò non circa res ipsas sed circa notiones  
secundas rebus imponendas, seu quat. res possunt fieri vel genus  
vel species vel differentia vel proprium vel accidens, vel subje-  
ctum vel predicatum vel major vel minor vel medius terminus,  
occupata sit.

### Theorema Sextum.

Finis Logicae est duplex: unus internus  
alter externus. Internus est syllogismus: ex-  
ternus est veritas.

I. Convenit Logica in hoc cum reliquis instrumentis ut du-  
plicem finem, internum unum externum alterum agnoscat & re-  
quirat. Internum autem, ut ex theoremate nostro patet Logica  
finem qui in ipsa arte Logica comprehenditur, & ad quem omnia  
in Logica tendunt, ipse verò ad aliud dirigitur, facimus Syllogis-  
mum. Sic enim primò formamus terminos simplices, ex ter-  
minis simplicibus componimus enunciationes, & tandem ex enun-  
ciationibus conficimus syllogismum, quo constructo finem Logica  
internum sumus consecuti & propter hunc unicum precedentia  
omnia sunt suscepta.

II. Externum autem Logica finem facimus veritatem.  
Ad hanc enim omnia Logica instrumenta inveniendam & in-  
vestigandam inventa & excogitata sunt, & hac inventa Logica  
suum ultimum finem est consecutus. Nec moramur hac in parte  
vel Ramaeos vel alios, qui nobis benè differere, vel demonstra-  
tionem



tionem vel aliud quid finem Logica esse persuadere contendunt. *Finis atque disciplina est.*  
 Statuimus enim & firmiter tenemus illum esse finem alicuius discipline ad quem omnia ea quae in disciplina illa traduntur, tendunt obtinendam. Jam autem omnia Logica instrumenta ad veritatem obtinendam unice & unanimi consensu aspirant & tendunt. Ex quo firmiter, veritatem Logica finem ultimum & legitimum esse concludimus & deducimus. *Bene differere finis Logicae esse negamus.* Non autem hac ratione bene differere & demonstrationem finem Logicae esse negamus. Sic bene differere finis Logicae esse potest, sic demonstratio finis Logicae esse potest. Scilicet intermedius vel principalis, sed non ultimus & universalis, de quo hic nobis sermo est institutus. *Bene differere finis Logicae esse potest. & Demonstratio.*

## Corollaria.

- I. <sup>formae</sup> An Logica & Dialectica differant? A. *stia p. unica tunc parte Logicae*
- II. An Aristoteles, propterea quod Logicam non defini- <sup>us Topica 13, ab</sup> niverit; erraverit? N. *Atque sumitur, ut vide-  
dere est lib. 1. Topicae  
Cap. 1. de reprehensi-  
one sophisticarum cap.  
11. lib. 1. Top. Cap. 2.  
et 11.*
- III. An Logica in libris sit tanquam in proprio suo sub-  
jecto? N.
- IV. An obiectum Logicae sit Non-Ens? N.
- V. An finis Logicae sit bene differere? Nequaquam.
- VI. An definitio Logicae sit de eiusdem essentia? N.
- VII. An propterea Rameorum error, quod ipse Aristoteles, quibusdam in locis Logicam vocaverit artem, possit defendi? Nullo modo.




AD



*Ad humanissimum Juvenem*  
**FRIDERICVM HARTVVIGIVM**  
**ROSTOCHIENSEM.**

**E**N rectè Logicos tentas dissolvere nodos  
Et quid sit verum discere amice cupis.  
En benè, quid Logicæ genus, & sententia doctûm  
De Logicâ quæ sit quæris amice, Virûm.  
En sic ad claras properas non segniter artes  
En sic ad laudes, est tibi porta patens.  
En tali constans modò pergito currere cursu  
Sic quondam Hartvvigûm nobile fidus eris.

M. HERMANNUS HELTBERGIUS  
VValstrodâ Luneburgicus.



**Aliud.**

**H**ARTVVIGI legis artis opes, res, tutus agendo  
Moliris semper, nocte dieque studes  
Palladis & Themidos peragras non segniter hortos  
Te studium Sophiæ, te trahit aura DEI:  
In captis quare studiis benè tu utere: crescent  
Utu artes, usu, quod sumus, omne sumus.  
Fata precor studii cursus FRIDERICE gubernent  
Perge, DEUS studii portus & ortus erit:  
Optatamque adeò studii contingere metam  
Hac quâ cæpisti pergere perge via.

*Simon Kirchovius Rostochiensis*  
*Megapolitanus.*























306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis; & natura: nunquam vero corrumpitur; nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

### Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem, concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia existunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.

### Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se existit, non in corpore, sed semper extra corpus.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore esse. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unionem.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione essentia, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3

